Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

In catenam super Marci et Iohannis evangeliis editam - Cod. Aug. pap. 6

Thomas <von Aquin, Heiliger>

[Reichenau], [15. Jahrh.]

Cap. XVIII

urn:nbn:de:bsz:31-84699

Visual Library

Alius autem dilectio qua pater diligit filium
est in nobis nisi quia membra eius sumus et
in illo diligimur et cum et ipse diligit totus i.
caput et corpus. Et ideo subiunxit: Et ego in
ipsis. Est enim in nobis tamquam in templo suo
nos autem in illo sicut membra quia caput nostrum est ...

Sequitur Capitulum xviij

Et cum dixisset ihesus
etc. Augustinus. Termi
nato sermone quem post
cenam dominus ad discipulos
habuit ad invicem orante quod
dixerat ad patrem eius
passionem iohannes evangelista
sic exorsus est. Hec
cum dixisset ihesus egressus est cum discipulis
suis transtorrentem cedron ubi erat ortus
in quem introivit ipse et discipuli eius. Non
autem continuo hoc factum est cum verba illa fini
ta essent a domino. Sed alia quedam sunt interposita
que ab isto pretermissa apud alios evangelistas
leguntur. Augustinus de concordia evangelistarum. Facta
est autem contencio inter eos quis eorum videretur
esse maior sicut lucas commemorat. Dixit etiam
ipse petro sicut lucas ipse subiungit. Ecce
sathanas expetivit vos ut cribraret sicut
triticum et cetera que ibi sequuntur. Et ympno
dicto sicut matheus marcus quoque commemorant
exierunt in montem oliveti. Contexit ergo
narracionem matheus et dixit Tunc venit
ihesus cum illis in villam que dicitur gethsema
ni. Ipse est locus quem commemorat hic iohannes
ubi erat ortus in quem introivit ipse et di
scipuli eius. Augustinus super iohannem. Adhuc ergo
valeat quod dictum est: hec cum dixisset. Ut non
eum ante opinemur ingressum quam ista verba
finiret. Crisostomus. Sed propter quid non dixit
cessante oratione venit illuc? Quoniam oracio
illa fuit loquela quam ad discipulos facta. De
nocte autem vadit et flumen pertransit et
festinat ad locum proditori cognitum auferens
hiis qui insidiabantur laborem et ostendens di
scipulis quoniam volens ad mortem venit.
Alchuinus. Dicitur autem transtorrentem ce
dron i. cedrorum genitivo grecis. Transit
torrentem quia de torrente passionis bibit.
Ubi erat ortus. Ut peccatum quod in orto
commissum fuerat deleret. Paradisus enim ortus

deliciarum interpretatur. Crisostomus. Ne autem
audiens ortum eum occultari existimes sub
iungit: Sciebat autem et iudas qui tradebat
eum locum quia frequenter ihesus convenerat illuc
cum discipulis suis. Augustinus. Ibi ergo
lupus ovina pelle contectus et inter oves
alto patrisfamilias consilio toleratus didicit ubi
ad tempus exiguum dispergeret gregem in
sidiis appetendo pastorem. Crisostomus. Multo
ciens autem ibi cum discipulis ihesus singula
riter conveniebat de necessariis loquens et que non erat
fas alios audire. Faciebat autem hoc in montibus
et in ortis maxime puro a tumultibus in
quirens semper loco ne mens impediatur
ab auditione. Sed autem iudas illuc venit quoniam
multociens ihesus extra pernoctabat.
Misisset autem ad domum si putasset eum ibi
invenire dormientem. Theophylactus. Noverat
autem iudas dominum festo tempore ~~consuevisse~~ consuevisse
semper docere discipulos aliqua sublimia. Erat
autem solitus docere huiusmodi in specialibus
locis. Et quoniam tunc dies erat solempnis ar
bitratus est illuc eum illic et docere discipulos
que ad celebritatem spectabant. ¶ Iudas
ergo etc. Glossa. Ostenderat evangelista quomodo
iudas ad locum ubi ihesus erat pervenire
potuit, nunc ostendit. Iudas ergo cum acce
pisset cohortem et a pontificibus et phariseis
ministros venit illuc cum laternis et faci
bus et armis. Augustinus. Cohors non
iudeorum sed militum fuit a preside itaque in
telligatur accepta tamquam ad tenendum reum ser
vato ordine legitime potestatis ut nulla te
nentibus auderet obsistere quamvis et manus
tanta fuerit congregata et sic armata ve
niebat vel ut terreret vel etiam repugnaret
si quisquam christum defendere auderet. Crisostomus.
Sed quare cohortem susceperunt? Omnia milites
erant pecuniam quam omnia facere mediantes.
Theophylactus. Faces autem afferunt et laternas ne
latens in tenebris fugeret. Crisostomus. Mul
tociens autem alias miserunt comprehendere eum
sed non valuerunt eum. Unde manifestum
est quod et tunc volens seipsum dedit propter
quod subditur: Ihesus autem sciens omnia
que ventura erant super eum processit et

ad eos Quem queritis Theo[philus] Querit autem
non ut volens scire Nam utique noverat omnia
que ventura erant super eum sed unde volens
quod cum presens esset ab eis videri non poterat vel
discerni Nam sequitur Dicit eis Jhesus
ego sum Cris[ostomus] In medio enim eorum ex
istens excecavit oculos eorum Quoniam enim non
tenebre cause erant indicavit evangelista dicens
quod et lampades habebant Et si lampa
des non essent a voce saltem debebant eum
cognoscere Si vero et illi ignorabant qualiter
iudas ignoravit qui cum eo fuerat continue
Et ideo subdit Stabat autem et iudas qui tra
debat eum cum ipsis. Fecit autem hoc Jhesus osten
dens quod non solum comprehendere eum non possent
sed nec videre in medio eorum existentem nisi ipse con
cederet. Unde subditur Ut ergo dixit eis
ego sum abierunt retrorsum et ceciderunt
in terram Augustinus Ubi nunc militum
cohors ubi terror et munimen armorum
una vox turbam odiis ferocem armisque
terribilem sine telo ullo percussit repulit
stravit Deus enim latebat in carne et
sempiternus dies ita membris occultabatur
humanis ut lanternis et facibus quereretur
occidendus a tenebris Quid iudicaturus fa
ciet qui iudicandus hoc fecit Et nunc ubique
per evangelium per eorum dicat Ego sum et a iude
is expectatur antichristus ut retro redeant
et in terram cadant quia deserentes celestia
terrena desiderant Greg[orius] super Eze[chielem]. Quid
est autem hoc quod electi in faciem et reprobi retror
sum cadunt nisi quia omnis qui post se cadit
ibi cadit ubi non videt Qui vero ante
se cadit ibi cadit ubi videt Iniqui ergo
quia in invisibilibus cadunt post se cadere dicuntur
quia ibi corruunt ubi quid eos tunc sequitur
modo videre non possunt Justi vero quia in istis vi
sibilibus semetipsos sponte deiciunt ut in
invisibilibus erigantur quasi in faciem cadunt
quia timore compuncti videntes humiliantur
Cris[ostomus] Deinde nequis dicat quod ipse
iudeos adhuc induxit ut eum occiderent
seipsum in manibus eorum tradens manifes
te ostendit omnia eis in sufficiebant eos
revocare Et quia permanebant in malicia et
nullam habebant excusationem tunc seipsum

in manibus eorum tradidit Unde sequitur
Iterum ergo interrogavit eos Quem queritis Illi
autem dixerunt Jhesum nazarenum Respondit
Jhesus. Dixi vobis quia ego sum Augu[stinus]
Audiant primo. ego sum. sed non comprehendant
quia hoc voluit qui potuit quia si voluisset num
quam se ab eis permitteret apprehendi. Non quidem
illi facerent propter quod venerant sed nec
ipse faceret propter quod venerat. Unde post
tenebras volentibus nec valentibus ostendit potestatem
suam iam tenebunt eum ut faciat de nes
cientibus voluntatem suam Unde subditur
Si ergo me queritis sinite hos abire Cris[ostomus]
quasi diceret Si me queritis nichil vobis ad hos
quoniam ecce me ipsum trado usque ad ultimam
horam ad suos dilectionis observantiam demonstrans
Augustinus Inimicos iubet et hoc faciunt
quod iubet Sinite eos abire quos non vult per
ire Cris[ostomus] Unde evangelista ostendens quod hoc
non fuit illorum potentie sed virtutis eius qui com
prehensus erat subiungit Ut impleretur sermo
quem dixit quia quos dedisti michi non perdidi
ex eis quemquam. Perditionem autem non hanc
dixerat que mortis. sed illam eternam Evangelista
tamen et de presenti morte id accepit Augusti
nus Numquid autem non erant postea morituri
Cur ergo si tunc morerentur perderet eos
nisi quia nondum in eum sic credebant
quomodo credunt quicumque non pereunt Symon
ergo petrus etc. Cris[ostomus] Petrus confidens
in predicta voce domini et in hiis que iam facta
erant armatur adversus eos qui supervene
rant Unde dicitur Symon ergo petrus
habens gladium eduxit eum et percussit pontifi
cis servum Sed qualiter qui iussus erat non
peram habere nec duas vestimenta gladium habet
Aliqui videtur hunc formidans preparasse du
dum Theoph[ilus] Vel ad opus agni illo indigens
ferebat hunc cenam post cenam Cris[ostomus] Et
qualiter qui iussus erat non alapam dare
homicida fit Quia maxime non se ulcisci
iussus est hic autem non se ulciscebatur sed
magistrum. Deinde nec perfecti adhuc erant
Sed videbis postea petrum vulneratum et
humiliter ferentem Non sine causa autem

subdit: Et abscidit eius auriculam dexteram.
Videtur enim miles impetu apostoli signare quod
ad ipsum caput impetum fecit. Augustinus. So-
lus autem hic evangelista etiam nomen servi huius
expressit cum dicit: Erat autem nomen servo Mal-
chus. Sicut lucas solus quod eius auriculam
dominus tetigit et sanavit eum. Crisostomus. Tunc
enim miraculum fecit et erudiens nos quod etiam
qui male faciunt bene facere oportet et vir-
tutem revelans suam. Nomen autem servi
posuit evangelista ut hiis qui tunc legent
liceat querere si vere factum est. Servum autem
summi pontificis dicit quia magnum est quod
factum est. Non solum quia curavit, sed quia
curavit eum qui super eum venit et paulo
post alapam daturus erat. Augustinus. Malchus
autem interpretatur regnaturus. Quid ergo
auris pro domino amputata et a domino sanata
signat nisi auditum amputata vetustate
renovatum ut sit in novitate spiritus et non
in vetustate littere. Quod cui prestitum fuerit a
Christo quis dubitet regnaturum esse cum Christo.
Quod autem servus invenitur est et hoc ad illam
pertinet vetustatem que in servitute generat. Sed
cum accessit sanitas figurata est et libertas. Theo-
philus. Vel ceso aure dextera servi principis
sacerdotum signum erat surditatis eorum que potis-
sime principibus sacerdotum inoleverat. Quod autem
demum restituta sit auris, signat ultimam
reparationem intellectus iudeorum tempore
helye. Augustinus. Factum autem petri dominus
improbavit et progredi ultra prohibuit. Un-
de sequitur: Dixit ergo ihesus petro: Mitte
gladium tuum in vaginam. Crisostomus. Non solum
autem minis eum cohibuit ut matheus re-
fert, sed et aliter consolatur eum dicens: Cali-
cem quem dedit michi pater non bibam illum?
Ostendens enim illa non virtute que fiebant
erant, sed sue confessionis erat, et non est deo
contrarius sed obediens usque ad mortem. Theophilus.
In eo autem quod ipsum calicem dicit quod sibi gra-
ta et acceptabilis pro salute mortalium mors in-
derentur ostenderet. Augustinus. Et autem apostolus sibi
dicit traditum calicem passionis illud est
quod ait apostolus: Filio suo non pepercit, sed pro
nobis omnibus tradidit eum. Verum auctor

calicis huius est etiam ipse qui bibit. Unde
idem apostolus dicit: Christus dilexit nos et
tradidit semetipsum pro nobis. Cohors vero
Theophilus. partes turbis quod sufficientes sibi habebat
ad prohibendum iudeos cum illi hoc nequaquam
discernerent tunc duci per se promisit. Un-
de dicitur: Cohors ergo et tribunus et ministri iu-
deorum comprehenderunt ihesum. Augustinus. Compre-
henderunt ad quem non accesserunt, nec
audierunt: Accedite ad eum et illuminamini. Si
enim sic accederent non cum manibus [illegible]
occidendum sed recipiendum corde comprehenderent.
Nunc autem cum eum illo modo comprehenderunt, ab eo
longius recesserunt. Sequitur: Et ligaverunt eum.
A quo solvi potius velle debuerunt: Dirupisti
vincula mea. Postea vero quam per eos
tradente iuda dominum ligaverunt ut intelli-
gatur iudas non laudabilis utilitate tra-
ditionis huius sed sceleris voluntate damp-
nabilis subditur. Et adduxerunt eum ad An-
nam primum. Crisostomus. Quod declarare enim gla-
bantur in hiis que fiebant quasi tropheum statu-
entes. Augustinus. Tacet tamen cur ita
factum sit subdens: Erat autem socer Cay-
phe qui erat pontifex anni illius. Marcus et
matheus cum id brevius narrare voluissent
eum ad cayphan ductum fuisse commemorant
quia et ad annam prius eo ductus est quia socer
eius fuit ut intelligendum sit hoc eundem
cayphan fieri voluisse. Beda. Quatenus dominum
accepto pontifice dampnaretur ipse quoque cri-
minis eius reus haberetur. Vel forassis sic
domus eius sita erat ut preterire eam non pos-
sent sive divinitus actum est ut qui erant
affines sanguine sociarentur in scelere. Et quod
dicit quod esset pontifex anni illius signat
contrarium legis in qua preceptum erat ut
unus esset summus pontifex quo moriente succe-
deret ei filius suus. Sed iam pontificatus am-
bitiose erat in foro. Alcuinus. Refert enim
iosephus istum cayfam unius anni sacerdotium
redemisse. Non ergo mirum si iniquus pon-
tifex inique iudicavit. Qui per pecuniam
ad sacerdotium accedit per iniusticiam in eo fuit.
Crisostomus. Ne autem audiens vincula audi-

tur tumultuetur. Recoluit prophetie quam more
eius filius fuit orbis terrarum. Unde sequitur
Erat autem caiphas qui consilium dederat
iudeis quia expedit unum hominem mori pro
populo. Tanta est enim virtutis superhabundancia
ut etiam inimica consentirent. Sequebatur
autem ihesum etc. Augustinus de con. ev. iii. De petri
temptacione que inter domini contumelias facta
est non eodem ordine omnes narrant. Nam
ipsas primo commemorant matheus et marcus
deinde petri temptacionem. lucas vero prius
explicat temptacionem petri. tum domini contumelias.
Iohannes autem incipit petri tempta-
cionem dicere cum dicit Sequebatur autem ihesum
Symon petrus et alius discipulus. Alcui-
nus Pro devocione sequebatur magistrum quamvis
longe propter timorem. Augustinus Quis
sit autem iste alius discipulus non te-
mere affirmandum est quia tacetur. Solet autem
se idem iohannes ita signare et addere quem
diligebat ihesus. fortassis ergo et hic ipse est.
Crisostomus Se autem occultat humilitatis gratia.
Etenim hic magna rectitudine enarrat
quoniam omnibus fugientibus ipse sequitur. Sed
preponit sibi petrum et sui ipsius recordatur et me-
minisse ut discas quoniam certius aliis enarrat
ea que facta sunt in atrio quia intus existens. Sic
addit autem propriam laudem subdens. discipulus
autem ille erat notus pontifici et introivit
cum ihesu in atrium pontificis. Non enim hoc
ut magnum quid de se ipso ponit. sed quia dixit
quod intravit cum ihesu solus ut non estimes hoc
excelse mentis esse addidit causam. Ut autem petrus
venisse illuc amoris fuit. non intrasse autem
metus timoris. Unde sequitur petrus autem sta-
bat ad ostium foris. Alcuinus Foris sta-
bat qui negaturus erat dominum. Nec erat
in xpo qui xpm confiteri non fuit ausus. Aug
Sed quem et petrus intrasset ut ipse dixit. si
ei concessum esset indicavit subdens Exivit ergo
discipulus alius qui erat notus pontifici et
dixit ostiarie et introduxit petrum. Ideo
autem ipse eum non introduxit quia xpo adhe-
rebat et sequebatur eum. Dixit ergo petro
ancilla ostiaria Numquid et tu ex discipulis es
hominis istius. Dicit ille Non sum. Aug
dicis o petre Nonne prius dixisti Et

si oportuerit animam meam pro te ponam. Quid igitur
factum est quoniam nec ostiarie ferens interrogacionem.
Non erat violentus qui interrogabat sed ostiaria
vilis. Neque dixit Seductoris discipulus es
sed hominis istius. quod miserentis erat. Dicit
autem Numquid et tu. quia Iohannes intus erat.
Augustinus Sed quid mirum si deus verum pre-
dixit. homo autem falsa presumpsit. Sane
in ista que iam cepta est negacione petri quod dicit
eum non esse xpistum. sed ab illo etiam qui negat
se esse xpistianum. Dominus enim non ait petro di-
scipulum meum te negabis. sed me negabis.
Negavit ergo ipsum cum se negavit esse disci-
pulum. Quid autem aliud isto modo quam se negavit
esse xpistianum. Quam multi postea etiam pueri et
puelle potuerunt mortem pro xpisto contempnere contem-
pnere et regnum celorum fortiter rapere
quod tunc iste non potuit qui claves regni celorum
accepit. Ecce unde dictum est Sinite hos
abire quia quos dedisti michi non perdidi ex
eis quemquam. Utique enim petrus si negasset xpistum hinc
iret quid aliud quam periret. Crisostomus in ser. de petro
et helya. Id circo autem divine providencie
~~[struck]~~ secretum permisit ut primus ipse laberetur
petrus quo erga peccantes duriorem sententiam
proprius casus in tutum temperaret. Petrus enim or-
bis terrarum doctor et magister peccavit et ve-
niam impetravit. ut hec indulgencie norma
et regula iudicantibus preberetur. Id circo enim
non angelis arbitror commissam sacerdocii
potestatem ne cum ipsi nunquam peccaverint in peccan-
tibus sine misericordia vindicarent. homo preficitur
super homines ordinatur ut dum ipse in aliis
suas recolit passiones misericors erga eos ex-
hibeat se et benignum. Theophilus Quidam tamen
mirantur quandam gratiam affirmantes petro dicunt
quod ideo negavit petrus quia volebat semper esse
cum xpisto et sequi eum. Novit enim quod si
fateretur se esse de xpisti discipulis dividitur ab
eo et non licet spacium ultra sequendi. Vi-
dendi quem dilectum. Unde simulabat se officium
gerere ministrorum. ne vultus mesticia cognitus
excluderetur. Unde sequitur Stabant autem
servi et ministri ad prunas quia frigus erat
et calefaciebant se. Erat autem et petrus

stans cum eis et calefaciens se. Augustinus. Non
hiems erat et tamen frigus erat quale solet
etiam equinoctio verno accidere. Gregorius in moralibus.
Iam autem intus a caritatis calore potius tor-
puerat et ad amorem presentis vite quasi ad perse-
cutoris prunas in firmitate conscientie calefie-
bat. ¶ Pontifex ergo interrogavit etc. Crisostomus. Quia vero
nullum crimen habebant inferre, interrogabant de discipulis.
Unde dicitur: Pontifex ergo interro-
gavit Ihesum de discipulis eius. Fortassis ubi
essent et cur eos collegisset. Hoc autem dice-
bat quasi seditiosum et novarum rerum factorem
eum redarguere volens quasi nullo attendente ei
nisi eius discipulis. Theophilus. Explorat insuper
de doctrina. Unde sequitur: Et de doctrina eius,
scilicet utrum a lege discrepans
et adversa Moysi, ut ex inde occasione accep-
ta ut dei emulus perdat. Alcuinus. Non enim
cognoscende veritatis amore interrogat, sed
ut causam inveniret qua eum accusare po-
tuisset et tradere Romano presidi ad dampnandum.
Sed dominus ita temperavit responsionem ut nec
veritatem taceret nec se defendere videretur.
Sequitur enim: Respondit Ihesus: Ego pala-
locutus sum mundo, ego semper docui in syna-
goga et in templo quo omnes iudei conveniunt
et in occulto locutus sum nichil. Augustinus.
Non pretereunda hic nascitur questio. Si enim
apud discipulos suos non loquebatur palam, sed
horam promittebat quando palam fuerat locuturus,
quomodo palam locutus est mundo? Deinde ipsis
discipulis suis intus manifestius loquebatur quando
cum eis erat remotus a turbis. Tunc enim et
parabolas aperiebat quas clausas proferebat
ad alios. Sic ergo intelligendum est: ita cum dixisset pa-
lam locutus sum mundo ac si dixisset Multi
me audierunt. Et utique non erat palam
quia non intelligebant. Et quod secreto loque-
batur discipulis non in occulto utique loquebatur.
Quis namque in occulto loquitur qui coram tot
hominibus loquitur, presertim si hoc loquitur paucis
quod per eos velit innotescere multis. Theophilus. Re-
miniscitur autem hic prophetie que dicit: Non
in occulto locutus sum nec in occulto terre
tenebroso. Crisostomus. Vel locutus est quidem
in occulto, sed non ut hii estimabant trepidans

et seditionem faciens, sed ubi multos audi-
tores superiora erant que dicebantur. Volens autem
ex superhabundantia fidedignum constituere suum tes-
timonium subdit: Quid me interrogas? Interro-
ga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: Ecce
hii sciunt que dixerim ego. Quasi dicat: Tu me de meis
interrogas? Interroga inimicos meos qui in-
sidiantur michi. Sunt autem hec verba con-
fidentis in eorum que dicta erant veritate. Hec
est enim veritatis inalterabilis demonstratio cum
inimicos quis invocat testes. Augustinus. Ipsa
enim que audierunt et non intellexerunt
talia erant ut non possent iuste ac ve-
raciter criminari, et quotiens eum interrogando
temptaverunt ut invenirent unde accusarent
eum, sic eis respondit ut omnes eorum retunde-
rentur doli et calumpnie frustrarentur. Hec
autem cum dixisset etc. Theophilus. Cum Christus
astantem interpellasset testimonium, volens
pontifex excusare quod non esset de hiis
qui admirabantur Ihesum, percussit Ihesum. Unde
dicitur: Hec autem cum dixisset, unus assistens
ministrorum dedit alapam Ihesu dicens: Sic
respondes pontifici? Augustinus. Hic sane osten-
ditur quod Annas pontifex erat, missus ad Ca-
ypham cum hoc diceretur. Et has duos Annam
et Caypham pontifices commemorat etiam Lucas
in initio evangelii sui. Alcuinus. Hic impletur
prophetia: Dedi maxillam meam percutientibus. Sed
Ihesus iniuste percussus mansuete respondit.
Unde sequitur: Respondit ei Ihesus: Si
male locutus sum, testimonium perhibe de
malo; si autem bene, quid me cedis? Theophilus.
Quasi dicat: Si habes ex hiis que nunc a me pro-
lata sunt reprehendere, ostende quod male dixi;
quod si nequis, quid furis? Vel etiam sic: Si
perperam docui cum in synagogis docebam,
testifica principi sacerdotum. Aliud si recte
docui ita ut etiam vos ministri mirarentur, quid
me nunc cedis quem prius admirabaris? Augustinus.
Quid ista responsione verius, mansuetius,
iustius? Qui enim accepit alapam, nonne vellet
eum qui percussit aut celesti igni consumi aut
terra dehiscente sorberi aut correptum demonio
volutari aut etiam aliqua huiusmodi qualibet pe-
na vel etiam graviori puniri? Et homo per

potentia uiberi non potuisset, per quem factus est mundus, nisi palam nos docere maluisset quaecumque mundus. Hic dicet aliquis: Cur non fecit quod ipse praecepit? Percutienti enim non sic respondere, sed maxillam debuit alteram praebere. Sed quod et mansuete respondit et non solum alteram maxillam cum percussuro, sed totum corpus figendum praebuit in ligno, et hinc potius demonstrauit illa praecepta patientiae non ostentatione corporis sed cordis praeparatione facienda. Fieri enim potest ut alteram maxillam uisibiliter homo praebeat iratus. Quanto ergo melius et respondet uera placatus et ad perferenda grauiora tranquillo animo sit paratus. **Crisostomus** Quid igitur compescere erat ubi aut redarguere aut acceptare quod dictum est. Sed hic non sic. Ea enim quae fiebant non erant iudicii, sed seditionis et tyrannidis. Non inuenientes autem quid plus facerent, mittunt eum ligatum ad Caypham. Unde sequitur: Et misit eum Annas ligatum ad Caypham pontificem. **Theophilus** Suspicantes hunc consilium esse excogitare posse aliquid aduersum Ihesum dignum morte. **Augustinus** Ad illum autem, sicut Matheus dicit, ab initio ducebatur, quoniam ipse erat illius anni princeps sacerdotum. Alternis quippe intelligendi sunt pro annis agere pontificatum, et credendum est secundum uoluntatem Caiphe id esse factum ut Ihesus primum ad Annam duceretur, ubi et domos eorum ita fuisse positas ut non deberet Annas a transeuntibus praeteriri. **Beda** Quod autem dicit ligatum non sic intelligendum quod tunc tantum fuit ligatus, sed tunc ligatus est cum est captus. Itaque ligatum ad Caypham misit sicut sibi fuerat praesentatus. Vel forte si potuit ut ad horam solueretur quatenus discuteretur, et post hoc discussus iterum ligaretur et sic ad Caypham mitteretur. Erat autem Symon Petrus etc. **Augustinus** Cum dixisset euangelista quod Ihesum ligatum miserat Annas ad Cayphan, reuersus est ad locum narrationis ubi reliquerat Petrum, ut explicaret quod in domo Anne de trina eius negatione contigerat. Unde dicitur: Erat autem Symon Petrus stans et calefaciens se. Hic recapitulat quod ante iam dixerat. **Crisostomus** Vel multo stupore detinebatur, qui feruidus erat, ut ducto Ihesu, decretis non

mouetur. Sed hoc fit ut discas quanta nostra est imbecillitas cum deus hominem dereliquerit. Et interrogatus rursus iterum negat. Unde sequitur: Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis eius es? Negauit ille et dixit: Non sum. **Augustinus de consensu euangelistarum** Hoc loco inuenimus non ante ianuam, sed ad focum stantem secundo negasse Petrum. Quod fieri non posset nisi iam redisset, postea quam foras exierat, ut Matheus dicit. Non enim iam exierat et foris eum uidit altera ancilla, sed cum exiret eum uidit, id est cum surgeret et exiret, animaduertit eum et dixit his qui erant ibi, id est qui simul erant ad ignem intus in atrio: Et hic cum Ihesu Nazareno erat. Ille autem qui foras exierat, hoc audito rediens iurauit illis contra intendentibus: Quia non noui hominem. Deinde, sicut Iohannes ait, dixerunt: Numquid et tu ex discipulis eius es? Quod redeunti statim dictum intelligimus. Hoc quoque confirmat non illam tantum alteram ancillam quam commemorant in hac secunda negatione Matheus et Marcus, sed et alium quendam commemorat Lucas cum Petro id egisse. Unde Iohannes dicit: Dixerunt ergo ei. Iohannes autem secundum tertiam negationem Petri ita explicat: Dicit unus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te uidi in orto cum illo? Quod Matheus et Marcus non singulari sed plurali numero enuntiant eos qui cum Petro agebant, cum Lucas dicat unum, Iohannes quoque unum, cum quod cognatum eius cuius abscidit Petrus auriculam, facile est intelligere aut pro consuetudine locutionis usurpasse Matheum et Marcum pluralem numerum pro singulari, aut quod unus maxime tanquam sciens et qui eum uiderat affirmabat, ceteri autem secuti eius fidem Petrum simul urgebant. **Crisostomus** Sed nec ortus in memoriam eum reduxit eorum que ibi dicta sunt, nec multa dilectio quam illic per uerba multa ostendit. Unde sequitur: Iterum ergo negauit Petrus, et statim gallus cantauit. **Augustinus** Ecce medici completa est praedictio, egroti conuicta praesumptio. Non enim factum est quod iste dixerat: Animam meam pro te ponam, sed factum est quod ille praedixerat: Ter me ne-

gabis Crisostomus Quantum vero grauiter nega-
tionem petri scripserunt non discipulum accusan-
tes. sed nos erudire volentes quantum malum sit
non deo totum credere sed sibi confidere. Beda
Mystice autem per primam petri negationem qui ante
passionem ipsius negaverunt eum denotantur. Per
secundam vero illi qui post eius resurrectionem in di-
uinitatem eius et humanitatem offenderunt.
Item per primum galli cantum ipsius designatur ca-
pitis resurrectio per secundam illa que in fine celebra-
bitur totius corporis. Per primam autem ancillam que
petrum negare cogit designatur cupiditas. Per
secundam carnales delectationes per virum sive plures
demones qui suadent xpistum negare. Addu-
cunt ergo ihesum etc. Augustinus Redit evangelista
ad locum narrationis sue ubi eam reliquerat
ut applicaret petri negationem. Unde dicitur
Adduxerunt ergo ihesum ad caypham in pretorium
Ad caypham quippe ab anna collega et so-
cero eius duxerat missum. Sed si ad cay-
pham cur in pretorium. Aliud nil aliud intel-
intelligi quam ubi preses pylatus habitabat.
Beda. Pretorium enim dicitur sedes pretoris.
Pretores autem dicuntur prefecti sive preceptores eo
quod cunctis precepta dabant. Augustinus Aut
igitur aliqua urgente causa de domo cayphe
quo ad audiendum ambo convenerant causas pro-
perabat ad pretorium presidis et sacerdoti suo ihesum
reliquerat audiendum. Aut in domo cayphe
pretorium pylatus acceperat. et tanta domus
erat. ut seorsum habitantem dominum suum seorsum
iudicem ferret. Augustinus de con(sensu) evangelistarum. Iame
ad ipsum caypham ab initio ducebatur ad quem
in extremo perductus est. Sed quia ei tamquam
convictum reum adducebant. Cayphe autem iam
antea visum fuerat ut ihesus moreretur nulla mora
interposita est quin occidendus pylato traderetur
Sequitur Erat autem mane. Crisostomus. Ante
quam gallus cantaret ad caypham ducitur. pri-
ma vero ad pylatum. Per quod demonstratur quod
quod per totum intermedium noctis a caypha
interrogatus in nullo redarguitur et ideo eum
misit ad pylatum enarrandum ipse quesivit
quod intrepus est. Sequitur enim Et ipsi non in-
troierunt in pretorium. Augustinus hoc est

in eam partem domus quam pylatus tenebat
si ipsa erat domus cayphe. Cur autem non in-
troierunt exponit subdens Ut non conta-
minarentur sed ut manducarent pascha. Cri-
sostomus Etenim tunc iudei faciebant pascha. Ipse
vero ante unam diem tradidit pascha re-
servans suam occisionem sexte ferie quando vetus
pascha fiebat. Vel pascha dicit totum festum.
Augustinus. Dies enim agere ceperant azimorum
quibus diebus contaminatio illis erat in alieni-
gene habitaculum intrare. Alcuinus. Pascha
enim proprie dicebatur dies illa qua agnus ad
vesperam XIIII luna occidebatur. Septem vero
dies sequentes dies azimorum dicebantur in quibus
nichil fermentatum in domibus eorum debuit
inveniri. Sed tamen dies paschalis inveniuntur
inter dies azimorum [illegible] notari. ut
apud matheum. Prima autem die azimorum ac-
cesserunt discipuli ad ihesum dicentes ubi vis
paremus tibi comedere pascha. Pascha etiam
dies azimorum inveniuntur notari sicut
hic ut manducarent pascha. Pascha enim non
ymolationem agni hic vocat que fiebat
XIIII luna ad vesperam. sed magnam solemp-
nitatem que XV luna celebrabatur post agni
ymolationem. XIIII enim luna dominus sicut et alii
iudei pascha celebravit. XV luna quando
magna solempnitas celebratur est crucifixus
XIIII vero luna cepit et ymolatio eius quando
captus est et cetera. Augustinus O impia ce-
citas alienigene iudicis pretoris contami-
nari timebant et fratris innocentis sangui-
nem non timebant. Nam quo certa dominus erat
et vite dator qui occidebat non corpus contaminabatur
sed contemnit depuratur. Theophilus Sed pylatus
utrumque perpendens magis ipse idem egreditur
Unde sequitur Exivit ergo pylatus foras
ad eos. Beda. Hec autem erat consuetudo
iudeorum ut quos mortis reos iudicarent
vinctos presidi traderent ut dum preses vinc-
tum cerneret intelligeret mortis addictum
Crisostomus. Sed videns eum ligatum et a tot
ductum non estimavit hoc argumentum esse
inalterabile accusationis. Unde sequitur Quam
accusationem affertis adversus hominem hunc
Inconveniens enim dicit esse iudicium eos

cepisse supplicari aut illi concedere Sed illi
tenuientes ex directo accusacionem criminis
quibus se extimarent Unde sequitur Responde-
runt et dixerunt ei Si non esset hic ma-
lefactor non tibi tradidissemus eum Augustinus
Interrogentur atque respondeant ab in mundis
spiritibus liberati. ceci videntes mortui re-
surgentes. et omnia super. stulti sapientes
utrum sit malefactor ihesus Sed ista dicebant
de quibus per prophetam iam ipse predixerat
Retribuebant michi mala pro bonis Augustinus
de con ewangelistarum Sed videndum est ne contrarium
sit quod lucas dicit certa in eo esse crimina Ce-
perunt autem inquit accusare illum dicentes
Hunc invenimus subvertentem gentem nostram
et prohibentem tributa dari cesari et di-
centem se christum regem esse Sed secundum Jo-
hannem videntur iudei voluisse dicere cri-
mina ut eorum auctoritate pylatus
ea obiecta desineret querere Sed ideo hoc
tantum nocentem crederet quod sibi ab eis tradi
meruisset Ergo intelligere debemus hoc
dictum esse et illud quod lucas commemoravit
Multa enim dicta et multa responsa sunt Unde
in narracione sua quisque posuit quod satis esse
iudicavit Nam et ipse Johannes dicit quedam
que obiecta sunt que suis locis videbimus Ita
sequitur Dixit ergo eis pylatus Accipite
eum vos et secundum legem vestram eum Theophilus
quasi dicat quoniam ad votum iudicari postulatis et sup-
biatis ac si nichil examinatum egistis accipite
vos et dampnate Ergo namque nequaquam
talis iudex efficiar Alcuinus Vel hoc dicit
quasi dicat Vos qui legem habetis que de hoc de talibus
iudicet secundum quod iustum esse scitis facite Sed
dixerunt ergo iudei Nobis non licet in-
terficere quemquam Augustinus Sed nomine legis
eis preceperit ne malefactoribus parcerent seductori-
toribus adeo qualem istum putabant par-
cant Sed intelligendum est eos dixisse non
sibi licere interficere quemquam propter festi diei sanctitatem
quam celebrare iam ceperant Ita ne
amentes sensum nimia malicia perdidistis ut
ideo vos a sanguine innocentis impollutos
esse credatis quia eum fundendum alteri traditis
Crisostomus Vel eo ipso eum non interfecerunt quia
multum deputate eorum abscissum erat eis tem-

mis rebus subtractantibus Vel aliter quia di-
cat eis secundum legem vestram interficite eum Vo-
lentes ostendere quoniam peccatum eius non est iudaicum
dicunt quoniam non licet nobis. Non enim secundum
legem nostram peccavit. sed crimen eius est pub-
licum quia se regem dixit Vel quia crucifigi
eum cupiebant ut eciam modum mortis eum dif-
famarent. Non autem licebat eis crucifigere
Sed quod alio modo interficiebant monstrat iste
stephanus ab eis lapidatus Et ideo subditur Ut
sermo ihesu impleretur quem dixit quod morte esset
moriturus quod scilicet iudeos crucifigere non lice-
bat Aut dicit hoc ewangelista quoniam non ab eis solum
sed et a gentibus debebat interfici Augustinus Si-
cut legimus apud marcum ubi ait Ecce ascen-
dimus ierosolimam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et
scribis et tradent eum gentibus. Pylatus autem ro-
manus erat eumque in iudeam romani presidem mi-
serant Ut ergo iste sermo impleretur. id est ut eum
sibi traditum gentes interficerent nolunt eum
accipere dicentes non nobis licet interficere
quemquam ¶ Introivit iterum in pretorium Crisostomus
Pylatus ab odio iudeorum eripere volens iudi-
cium non protraxit in longum Unde dicitur In-
troivit ergo iterum in pretorium pylatus et vocavit
ihesum Theophilus Seorsum eo quod magnam
habebat de eo suspicionem proponebat causam omnem
exquisite examinari amoto strepitu iudeorum
Unde sequitur Et dixit ei tu es rex iudeorum
Alcuinus hys verbis ostendit pylatus iude-
os obiecisse hoc crimen ut diceret se esse regem
iudeorum Crisostomus Vel hoc pylatus a multis
audierat Quia vero nichil illi habebant dicere
ut non multa fieret investigacio qualiter
dicebatur hoc in medium ducere vult Et Respondit
ihesus A temetipso hoc dicis an alii dixe-
runt tibi de me. Theophilus Innuit quod hoc
pylatum esse vecordem ac indiscrete iu-
dicantem ac si diceret Si hoc a te ipso lo-
queris pande signa mee rebellionis ac
si ab aliis percepisti inquisicionem fac ordina-
tam Augustinus Sciebat utique dominus
et quod ipse interrogavit et quod ille responsurus
fuit. Sed tamen dici voluit non ut ipse sciret
sed ut scriberetur quod voluit ut sciretur Crisostomus
Non ergo ignorans interrogat sed ab ipso

accusare iudeos volens. Unde sequitur: Respondit pylatus: Numquid ego iudeus sum? **Aug.** Abstulit a se suspicionem qua posset putari a semet ipso dixisse id quod a iudeis audisse demonstrans. Unde subdit: Gens tua et pontifices tui tradiderunt te michi. Deinde dicendo: Quid fecisti? satis ostendit illud ei pro crimine obiectum. Tamquam diceret: Si te regem negas, quid fecisti ut traderis michi? Quasi mirum non esset si puniendus iudici traderetur qui se diceret regem. **Crisostomus.** Reducit autem pylatum non valde malum existentem et vult ostendere quoniam non est homo nudus sed deus et dei filius. Et quia formidaverat pylatus, dissolvit tyrannidis suspicionem. Unde sequitur: Respondit Jhesus: Regnum meum non est de hoc mundo. **Augustinus.** Hoc est quod bonus magister scire nos voluit. Sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno eius opinio sive gentium sive iudeorum, a quibus id pylatus audierat, quasi propterea fuisset morte plectendus quod illicitum affectaverit regnum, vel quoniam solent regnaturis et mundo regnanti et videlicet cavendum erat ne hujus regnum sive romanis sive iudeis esset adversum. Quod si interroganti pylato continuo respondisset, non etiam iudeis et gentibus optime apparet quod respondit quod dominus. Audite iudei et gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite credendo ad regnum quod non est de hoc mundo. Quid est enim eius regnum ~~quod non est de hoc mundo~~ nisi credentes in eum, quibus dicit: De hoc mundo non estis, quamvis esse eos vellet in mundo. Unde et hic non ait: Regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo. De mundo enim est quicquid hominum a deo quidem creatum sed ex Adam vitiata stirpe generatum est. Factum autem regnum non iam de mundo quicquid inde in Christo regeneratum est. Sic enim nos deus eruit de potestate tenebrarum et transtulit in regnum filii caritatis sue. **Crisostomus.** Vel hoc dicit quoniam non tenet regnum ut hic reges terrarum tenent, sed quoniam desursum habet principatum, qui non est humanus sed multo maior et clarior. Unde subdit: Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non tra-

derer iudeis. Ostendit hic regni eius quod apud nos est imbecillitatem, quoniam a ministris habet fortitudinem. Superius vero regnum sufficiens est sibi ipsi nullo indigens. Si igitur maius est illud, volens captus est seipsum tradens. **Aug.** Cum ergo probasset regnum suum non esse de hoc mundo, subdit: Nunc autem regnum meum non est hinc. Non dicit: Non est hic. Hic est enim regnum eius usque in finem seculi, habens intra se commixta zizania usque ad messem. Sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo. **Aug.** Vel ideo non dicit: Non est hic, sed non est hinc. Nam regnat in mundo et utitur illius provisione et mota nostri cuncta disponit. Non autem est ab infimis ~~ergo~~ constitutum regnum eius sed celitus et ante secula. **Crisostomus.** Hinc autem heretici arripientes dicunt alienum eum esse a mundi conditore. Sed cum dicit: Regnum meum non est hinc, non privat mundum a sua providentia et prelatione, sed ostendit regnum suum ~~esse~~ non esse humanum neque corruptibile. Sequitur: Dixit itaque ei pylatus: Ergo rex es tu? Respondit Jhesus: Tu dicis quia rex sum ego. **Aug.** Non quia regem se timuit confiteri, sed ita libravit ut nec se regem negaret nec regem talem se esse fateretur cuius regnum putaretur esse de hoc mundo. Dicitur enim: Tu dicis, ac si diceretur: Carnalis carnaliter dicis. Deinde subiungit: Ego ad hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati. Non est producenda huius pronominis sillaba quod ait: In hoc natus sum, tamquam dixerit: In hac re natus sum. Sed corripienda, tamquam dixerit: Ad hoc natus sum. Sic et ait: Ad hoc veni in mundum. Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mundum, non illam sine initio qua deus erat. **Theo.** Vel aliter: Interrogatus a pylato si dominus esset rex: Ego inquit in hoc natus sum, id est ad hoc quod rex sim. Hoc enim ipsum quod a rege productus sum, me quasi regem esse testatur. **Cris.** Si igitur rex natus est, nichil nisi accipiens habet. Ad hoc inquit veni ut testimonium perhibeam veritati. Hoc est ut hoc ipsum sua

deam omnibus. Et necdum est quod sua humilitatem ondit dum dicentibus quoniam malefactor esset fecerbat superplenus. Cum vero interrogatus est de regno tuo locutus est ad pylatum erudiens eum et reducens ad altiora et respondit se nichil versutum operari ex hoc quod dicit: Ut testimonium perhibeam veritati. Augustinus. Cum autem Christus testimonium perhibet veritati, testimonium perhibet sibi. Eius quippe est vox: Ego sum veritas. Sed quia non omnium est fides, adiungit atque ait: Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. Audit utique interioribus auribus, idest obedit voci meae, ac si diceret credit mihi. Quod vero ait: Omnis qui est ex veritate, gratiam commendavit qua secundum propositum vocat. Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, cum omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? Sed non omnes sunt quibus ut obediant veritati ex ipsa veritate prestatur. Si enim dixisset: Omnis qui audit vocem meam ex veritate est, ideo dictus ex veritate putaretur quia obtemperat veritati. Non autem hoc dicit, sed ait: Omnis qui ex veritate est audit vocem meam; ac per hoc non ideo est ex veritate quia eius vocem audit, sed ideo audit quia ex veritate est, quia hoc illi donum ex veritate collatum est. Crisostomus. Hoc autem dicens attrahit et suadet fieri eorum que dicuntur auditorem. Ita demulsit et cepit hiis brevibus verbis ut quereret quid est veritas. Sequitur. Dixit ei pylatus: Quid est veritas? Theophilus. Nam fere ab hominibus evanuit, et a cunctis erat incognita dum essent incredibiles. Et cum hoc dixisset iterum. Augustinus. Cum dixisset pylatus: Quid est veritas, credo in mentem illi venisse continuo consuetudinem iudeorum qua solet eis dimitti unus in pascha. Et ideo non expectavit ut responderet ei ihesus, ne mora fieret cum recoluisset morem quo posset eis per pascha dimitti; quod eum valde voluisse manifestum est. Unde dicitur: Et cum hoc dixisset iterum exivit ad iudeos. Crisostomus. Sciebat enim quoniam hoc quidem indigebat tempore interrogacionis; optabat autem eum eripere ab impetu iudeorum, ideo citius exivit. Alcuinus. Vel non expectavit audire responsum quia forte indignus fuit audire. Sequitur. Et dixit eis: Ego nullam in eo invenio causam. Crisostomus. Non dixit quia peccavit et dignus est morte; donate eum festo. Sed primum eum excusans, tunc rogat eos superhabundanter, ut si nollent eum ut innocentem dimittere, saltem ob noxium donarent. Unde subdit: Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in pascha. Beda. Hec consuetudo non erat legis preceptum, sed ex antiqua patrum tradicione descendit, ut ob recordacionem liberacionis ab egipto unum in die pasche dimitterent vinctum. Deinde exhortatur dicens: Vultis ergo dimittam vobis regem iudeorum? Augustinus. Avelli enim ex eorum corde non potuit ihesum regem iudeorum, sed tamquam hic fixit ubi sicut in titulo ipsa veritas fixit de qua quid esset interrogavit. Theophilus. Pulchre autem pylatus respondit per hoc quod nullus ihesus causam erat, sed frustra inquietatur ab eis velud regnum desiderans. Non enim eum qui se regem assereret ac emulum romane potestatis romanorum vicarius absolvisset. Aliud ob rem in eo quod dixit regem iudeorum absolvam. Prorsus in noxium ihesum prodit illudens quod iudeos quasi diceret: vos eum nominatis regem se putantem; hunc ergo absolvi iubeo qui talem non existentem. Augustinus. Sed hoc audito clamaverunt. Unde sequitur: Clamaverunt omnes rursum dicentes: Non hunc sed barraban. Erat autem barrabas latro. Non reprehendimus o iudei quod per pascha liberatis nocentem, sed occiditis innocentem; quod tamen nisi fieret verum pascha non fieret. Beda. Quia ergo reliquerunt salvatorem et petierunt latronem, usque hodie dyabolus sua latrocinia exercet in eos. Alcuinus. Barrabas autem interpretatur filius magistri eorum, idest dyaboli, qui huic latroni in suo scelere, iudeis in sua perfidia magister fuit. Sequitur.

Sequitur Capitulum XIX.

Tunc ergo apprehendit pylatus ihesum etc. Augustinus. Cum iudei clamassent non ihesum se velle a pylato dimitti per pascha sed barraban latronem, subditur: Tunc ergo